



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conradi Oligenii J. C. Dissertatio De Primariis Precibus
Imperialibus**

Corradini, Pietro Marcellino

Friburgi Brisgoiae, 1707

V. Poena & multæ per Preces Imperiales Ordinariis & Capitulis inflictæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63022)

10 *De primariis Precibus Imperialibus*
pertinent ad collationem, & electionem
Capitulorum; sed reservata sunt in Con-
cordatis Sedi Apostolicæ, inhibitumque
est Capitulis ea conferre; quo pacto
fieri potest, ut Preces ita efficaces sint,
ut Capitula privare possint Pontificem
jure in Concordatis eidem adscripto,
valeantque Imperatores tribuere Capitu-
lis jus eligendi, & conferendi iis mensi-
bus, & ea Beneficia, quorum collatio-
nem, & electionem ipsa neutiquam ha-
bent? Id sanè imperceptibile est, nisi di-
camus hanc potestatem ex Precibus Im-
perialibus, & sic à Laica manu prove-
nire: quod nefas est Catholicum virum
asserere.

IV
V.
Pœnæ & multæ per
Preces Impe-
riales Ordini-
nariis & Ca-
pitulis inflig-
tæ.

Intelligitur itidem ex formula Imperia-
lium Precum, quam recitavimus, statu-
tos esse pro executione earundem duos
Celsissimos Ecclesiasticos Præsules, ut ii
pœnis, & multis in formula jam dicta
comminatis cogere possint Imperiali po-
testate Capitula, & Ordinarios, qui ab
Ecclesiastico zelo ducti in hoc parere
mandatis & præceptis laicalibus renuis-
sent. Non est profecto cur mirari subeat,
in re tanti momenti Successorem in Ca-
thedra Divi Petri, optimum & meritissi-
mum Romanæ Ecclesiæ Pastorem, bea-
tissimorum Præsulum, qui septimæ Sy-

nodo adfuerunt imitatore, CLEMEN-
TEM XI. Papam, pensatis injuriis ex his
Precibus Ecclesiæ Dei resultantibus, for-
titer (ut audivimus) adversus eas pugna-
re; tanta nanque sunt absurda, tot præ-
judicia, & offensæ, quæ cœtui Ecclesia-
stico ex prædictis irrogantur, ut planum
sit, integerrimum Pontificem justo zelo
corruptum haud potuisse sine animæ pro-
priae periculo hæc dissimulare.

Quanti hæc res habenda sit, facile in-
telligitur ex factorum Canonum Statutis,
& Conciliorum Decretis. Patet enim
eruditis anno Christi septingentesimo octo-
gesimo trecentos & quinquaginta Episco-
pos Nicææ congregatos, (inter quos Pla-
to sanctissimus, Theophanes doctissimus,
S. Euthymius Sardicensis Episcopus, ali-
que clarissimi Confessores & Antistites)
ita statuisse: *Omnia Electio à Principibus
facta Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi,
irrita maneat secundum regulam, quæ di-
cit: Si quis Episcopus Secularibus Potesta-
tibus usus Ecclesiam per ipsos obtineat, de-
ponatur; & segregentur omnes, qui illi
communicant: cum enim in Synodo IV.
Oecumenica de Episcopis, qui uteban-
tur Principum jussis, id constitutum fuis-
set, voluerunt Patres septimæ Synodi pa-
riter Oecumenicæ id ipsum intelligi de*

VI.

Concilio-
rum Decreta
circa liberta-
tem electio-
num.